



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Dominica XXI. Post Pentecosten.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

tur contagio, unde infici potuisset: & si lucus aliqua vagaretur, summâ curâ custoditus fuisset Reguli filius, imò ipse sibi pro sanitate servanda sollicitè vigilâset. Quid Christiani agunt? itâne omnes contagionis spiritualis occasiones devitant? non video. Multi enim incipiunt mori, & excusant se propter multas mali occasiones, quibus utique Religiosi exempti sunt, ipsi verò quotidie immiscentur. Vanam esse hanc ipsorum excusationem, patet *Mense V. Disc. 136. pag. 307. à num. 5. ad finem.*

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

^{1.}
*Patientiam habe in me, & omnia reddam
tibi. Matth. 18.*

Quis non credidisset, obtentâ creditoris veniâ mitissimum fore hunc debitorem? verùm ille, dum tempore suo uti deberet ad solvenda debita, abusus est illo ad cruciandum conservum, novâque culpâ se obstrinxit. Eodem prorsus modo peccatores, etiamsi à DEO tempus sat largum poenitentiae obtineant, illo tamen sæpe abutuntur, & concessos dies sine fructu consumunt ac pereunt. *Mense I. Disc. 27. pag. 444. usque ad num. 5.*

2.

*Voluit rationem ponere cum servis suis.**Matth. 18.*

Rationem reddemus omnes Creatori, Redemptori, Benefactori, ac Domino nostro, instabit accusator diabolus: adversus hunc tota nos hodierna Epistola commonet, ut simus parati: *Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Ephes. 6. Quibus modis ad mortem parare nos debeamus, docetur *Mense III. Disc. 65. pag. 83. à num. 6. ad finem.*

3.

Tradidit eum tortoribus. Matth. 18.

Quàm facilè se subducere tormentis potuisset servus iste, si remittere conservo suo debitum voluisset! Nunc verò nec proprii debiti solvendi facultatem habet, nec à reliquis conservis ullam commiserationem: omnes indignantur, omnes eum supplicio suo dignum judicant. Imò ipse, dum flagellis cæditur, negare non potest, pœnas esse justas: unde acerbior dolor præteritæ in conservum crudelitatis eum cruciat. Sævissima damnatorum pœna est recordatio præteritorum peccatorum: vermis eorum non morietur. *Mense III. Disc. 79. pag. 386. ad num. 7.*

15

4.

4.

Quoadusque redderet universum debitum.
Matth. 18.

Quousque tandem patietur famem, tenebras, tormenta crudelis servus? quando finis veniet calamitatis? cum nempe reddet universum debitum. Et quomodo reddet constitutus in carcere? En duplex damnatorum supplicium, ignis præsens, quo cruciantur; futura æternitas, quæ nunquam finietur. *Mense III. Disc. 79. pag. 398. à num. 7. ad finem.*

5.

Tenens suffocabat eum, Matth. 18.

Parabola hæc integro sermone explicatur contra homines præpotentiâ suâ ad inferiorum oppressionem abutentes *Mense X. Disc. 300. pag. 483.*

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN,

1.

Cujus est imago hæc, & superscriptio? dicunt ei: Cesaris, Matth. 22.

Non spuriam, sed probam monetam principes in tributum exigunt: sola forma & imago non sufficit. Ita DEUS ab hominibus ad reddendam rationem & solvenda debita vocatis